



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1460. usque ad annum 1478

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118332

§. 16. Turcæ in Regno Castellæ

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66459](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66459)

Sæcul. XV. geret, simulque cum illis in Petri ruinam
A.C. 1467. conspiraret. Annuit Procerum votis Ve-
 netorum Respublica. Verum Florenti-
 ni, qui adhucdum Petro Medicæo addi-
 cti erant, vicissim exercitus sui Ducem
 creabant Fridericum, Virum animi ma-
 gnitudine, ac rei militaris scientia præ-
 stantissimum. Nihilominus ingens ille
 armorum apparatus ferme in irritum ce-
 cidit; tota enim ætas nonnisi velitatio-
 nibus, & quarumdam urbium expu-
 gnationibus transigebatur; demum vero
 totius belli summa ad pugnam in Bono-
 niensi agro commissam redigebatur, ubi
 tamen, cui victoria cesserit, incertum e-
 rat, atque ambo exercitus confecto præ-
 lio in hyberna dimittebantur.

§. XVI.

Turbæ in regno Castellæ.

Nec minoribus turbis exagitabatur
 Henricus Castellæ Rex; Hic datis
 ad Pontificem literis querebatur, quod
 quidam Episcopi in ejus regno sese re-
 bellibus adjungerent; alii vero omnino
 præcipui seditionis auctores essent; qua-
 propter eos Sede sua moveri, Proceres
 vero regni, ut illis metum incuteret, a-
 natemate feriri postulabat. His que-
 relis permotus Pontifex, Stephanum Ve-
 nerium Legionensem Episcopum in Ca-
 stellam

stellam Legatum decrevit; cum vero ille a seditiosis Proceribus suo hortatu nihil impetrare posset, eos usu Sacrorum interdixit. Hi ab hac sententia ad proximum Concillum provocarunt, palamque asserere non dubitarunt, Pontificis haud esse de Reipublicæ negotiis statuere. Eo tandem temeritatis, ac protervis prolapsi sunt, ut Regem ad propudiosas, ac Regiæ suæ Majestatis indignas pacis condiciones compellerent. Hic tamen innata ignavia sua atrocius in se suorum concitavit odium, ex altera vero parte Regina ob vitæ suæ licentiam pessime rebus consuluit. Rex itaque tot malis oppressus succubuit, atque alienata quodammodo mente, decem tantummodo equitibus stipatus, ad Placentiæ Comitem secessit, ac in urbis arce, quæ eidem Comiti parebat, quatuor omnino menses vix non rationis expertus hæsit.

§. XVII.

Bellum a Gastone Fuxi Comite pro Navarra in Regem Angliæ motum.

Joannes Arragonius, Catalanis vix non penitus coercitis, novo bello non minus gravi, quam periculoso involvebatur. Postquam enim Carolus ejus Filius e

Mariana hist. Hisp. l. 24.

vivis